

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. VII. TIT. I. De Usufructu.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

OBJ. (2) Quod sit instar emphyteuseos, adeoque nec in feudis obtineat.

RESP. (1) Hoc est quod negatur, neque lege constitutum est, ut dominium utile hic transeat. Dominia autem sine legibus fingenda non sunt. Atque hinc admodum differunt hæc duo jura, *ibi* enim canon præstat in recognitionem domini, *hic* non; sed pro modo fructuum: Unde sequuntur insignes effectus. Licet ergo (3) perpetua colonia similis quodammodo sit emphyteusi, effectu tamen maximopere differunt; nam & superficies est instar domini utilis & tamen admodum differt ab Emphyteusi. Denique & (4) Vallum hodie emphyteusim constituisse posse jam ante probatum est.

Cæterum admodum Doctores dissentiunt; Nam perpetuam coloniam absque consensu Domini in feudalibus agris constitui non posse tradit *Cotim. Vol. 2. Conf. 79. n. 180. n. 183. Schrad. de feud. p. 8. c. 1. n. 13.* Sed & alii nullum jus simile emphyteusi constitui posse tradunt, adeoque nec libellarium, nec censuarium, *Struv. c. 13. §. 6. Jur. Clar. §. feudum q. 37. nec perpetuam locationem, Clar. d. q. 33. n. 4.* Quæ nihil aliud est quam perpetua colonia: atque hæc sententia tribus conformibus sententiis confirmata est in curia Halberstadiensi in causa *der Freybergischen Erben*, contra *Martin Hencken*: Contrarium tamen, & in feudalibus quoque agris perpetuam coloniam obtinere, tradit *Hahn. de jure perpet. Col. th. 78.* Cui ob viciniam loci, & quia in ea quoque provincia jus perpetuæ colonie usitatum est, magis credendum est. Atque pro hac sententia in eadem curia judicatum est in causa *der Primischen Erben* contra *die Glindemännischen Erben*, & per duas conformes sententias in causa *Fischer* contra *Hochman*.

In hoc conflictu præjudiciorum potius insiditur rationi juris communis.

LIB. VII. TIT. I.

DE

USUFRUCTU.

Qv. I. An dentur servitutes extraordinariæ?

Præmittendum est Dd. per has intelligere servitutes prædiales, quæ *Laut. pag. 124. verb. Cocc. J. C. P. I.* ad personam restrictæ sunt, v. g. jus pascendi personæ datum &c. *At Extraordinariæ.*

Q99



At hæ non sunt extraordinariæ: Nam si ad prædii utilitatem sunt constitutæ, revera sunt prædiales, & ipso jure ad hæredes trans-eunt, *L. p. Serv. leg.* at hæres confessoria vindicans servitatem repellitur exceptione pacti. *l. 4. l. 5. pr. h.* Si vero ad prædii utilitatem plane non sunt constitutæ, ut si prædium vicinum non est, ne personalis quidem erit servitus, sed jus personæ datum, *d. l. p. l. 14. §. f. Alim. leg.* quod actione ex testamento petitur. *d. l. 14. §. f.*

Atque hic est verus sensus *dist. l. 14. §. f.* cujus lectionem bis corrigunt *Vinn. & Bach. ad §. 2. Inst. serv.* sed omnia clara sunt hoc posito fundamento, quod Jctus ibi relictam aquam non tanquam servitatem, sed tanquam legatum aquæ valere supponat. Apparet hoc ex contrariæ sententiæ rationibus, quas Jctus hoc ordine proponit. Ait enim, videri inutile hoc legatum aquæ, quia est servitus prædii, quæ non potest relinqui nisi qui vicinum fundum habet: Neque dici posse viciniam prædii hic non requiri, quia personæ relinquitur: Nam, pergit, *Et haustum aquæ esse servitatem personæ, tamen ei qui vicinus non est, inutiliter relinqui. Idem esse in servitute gestandi &c.* His dubiis ita oppositis, decidit Jctus, non esse inutile legatum, quia hæc aqua personæ relinquitur, quasi diceret, legatum aquæ hic non esse servitatem, neque realem, neque personalem; neque ut servitatem, sed tantum simpliciter aquam personæ relinqui, indeque etiam non vicino legari posse, quod secus esset, si ut servitus relinqueretur.

OBJ. Quod forma servitutum prædialium lege constituta sit, indeque pactis privatorum mutari non possit.

RESP. (1) Jura permissiva omnino mutari possunt. (2) Nihil hic mutatur in essentia servitutis, sed tantum in accidentalibus, ne scilicet transeant ad hæredes, pacta autem adjecta non mutant naturam ipsius contractus. Quin (3) manet ipso jure perpetua servitus, & exceptione tantum eliditur ex pacto.

Qv. II. An pater in bonis adventitiis liberorum usumfructum habet?

Laut. pag. 125. verb. constituitur. **R**ESP. Pater Jure patriæ potestatis usumfructum in bonis adventitiis liberorum habet, *§. 1. Inst. per quas personas cuique &c.* *L. 6.*



l. 6. pr. C. bon. quae lib. Idque verum est (1) etsi liberi de pane patris non vivant, *Laut. pag. 257. Carpz. p. 2. t. 10. def. 17.* tum quia non propter alimenta, sed jure patriae potestatis usufructus debetur; tum quia imputari non debet patri, quod liberos non exhibeat, qui ope ejus non indigent. *Carpz. d. l. n. 9.* Atque ita judicatum d. 25. Oct. 1708. in causa *Advocat Stögers contra dessen Kinber ersterer Ehe.* (2) Etiam si operas quasdam patri praestiterint. *Carpz. p. 2. c. 10. def. 8.* Atque ita judicatum in causa *Krafft contra Carl Schachten.* At si vere serviles vel ancillares operas praestiterint, ideo mercedem petere possunt. *Carpz. dicit. def. 8. n. 6.*

tur a lege patri.

Qv. III. *An usufructus usucapione vel praescriptione acquiratur?*

RESP. USUCAPI servitutes vi legis Scribonianae per se non poterant. *L. 10. §. 1. Usurp.* Nam in usucapione & vera & continua possessio requiritur, servitutes autem nec vere nec continuo possidemus, uti haec ratio allegatur in *l. 14. pr. servit.*

Laut. pag. 125. verb. Mediante praescriptione etc.

Ex c. Nisi cum praedio servitatem quis usucapiat; uti si quis praedium usucapit, & simul exercet servitatem, tunc enim acquiritur praedium cum suis juribus, per text. expr. in *l. 10. §. 1. de Usurp. Vinn. l. 1. q. 31.*

Equidem *Vinnius dicit. q. 31.* putat duos modos esse, quibus servitutes per se & principaliter usucapi possint, (1) ex *l. 10. §. 1. §. serv. vind.* (2) ex *l. f. in f. C. praeser. long. temp.* sed hi textus agunt de praescriptione longi temporis, de qua mox, non vero de usucapione.

At PRÆSCRIBI possunt, & quidem (1) Praescriptione ordinaria longi temporis, quando quis bona fide, & justo titulo, servitute quam a non domino accepit, longo tempore usus est, per text. expr. in *l. f. in f. C. Praeser. longi temp.*

OBJ. (1) *L. 10. §. 1. de Usuc.* Ubi servitus per se non potest longo tempore capi.

RESP. Loquitur de usucapione.

OBJ. (2) *l. 4. §. 27. Eod.* ubi nec possideri dicitur servitus, adeoque nec praescribi ei potest.



RESP. Imo cum prædio possidetur tanquam ejus qualitas.

(II) Acquiri servitus potest Præscriptione extraordinaria; quando scilicet ususfructus non est constitutus a non domino, sed ipse fructuarius ultro usus est servitute in re alterius, non vi, non clam, non precario, quo casu longo tempore capit; nec quæritur tunc de bona fide, aut iusto titulo, quia de iis tantum quæri potest ubi accepit a non domino, *l. 10. si servitus vind. l. 2. C. h. l. 1. C. si serv. & aq.* Vid. *B. Par. in Disp. de Præscr. Extraord.*

(III) Denique acquiri servitutes possunt Præscriptione longissimi temporis; & tum, si accedit bona fides, actio inde datur; *l. 8. §. 1. C. Præscr. 30. l. 40. alias, tantum exceptio, arg. d. l. 8. Laut. h. Conf. tit. de servit. q.*

Qv. IV. *An ususfructus per legatum ipso jure constituatur, ita ut nec traditione opus sit?*

Laut. pag. 125. verb. Mortis causa per legatum. AFFIRM. Etsi enim regulariter actio confessoria non detur fructuario, antequam res tradita fuerit, tamen aliud est in illis quæ ipso jure pro traditis habentur, uti quæ per legatum relinquuntur; ea enim recta via ab eo qui legavit ad eum cui legantur transeunt. *L. 64. furt. l. 80. Leg. 2do.* Idque ex aliis negotiis apparet, nam & publiciana legatario datur, etsi res ei tradita non sit, cum tamen certum sit publicianam regulariter non dari nisi re tradita. Vid. *sup. d. Publ. q. 1.* Denique effectu conveniunt, ususfructus qui per traditionem & qui per legatum constituitur. *L. 25. §. f. Usufr.* Unde rei vindicatio quoque hoc casu datur. *L. 1. C. comm. leg. l. 10. Usufr. leg. Conf. l. 29. Eod.*

OBJ. (1) *L. p. C. h. l. 3. pr. l. 46. §. 1. h. t. l. 1. §. 2. si Usufr. pet.* Ubi actio personalis ex testamento competit legatario, non ergo confessoria.

RESP. Non excluduntur eo actiones reales per *l. 1. C. comm. leg.*

OBJ. (2) Quod legatus ususfructus tradi debeat ab hærede, quod fit, si induxerit legatarium in fundum; Ergo traditione opus est.

RESP. (1) Is cui fundus legatus est, vindicat eum ab ipso hærede, ita ut hic dare debeat: adeoque legatarius habet etiam ante rem traditam actionem confessoriam: Unde (2) patet in *d. l. 3. hæredem non dominium & ejus jus dare, sed nudam possessionem, hanc enim legatarius non habet. arg. l. 23. de Acq. poss.*

Qv.



Qv. V. *An filius acquirens usufructum, ipsum jus usufructus patri acquirat, an vero solum utendi commoditatem?*

AFFIRM. prius; per text. expr. in *l. f. C. h.* ubi asseritur, finito usufructu in patre eum manere in filio, & contra; Adeoque in utroque tanquam in una persona hæret jus usufructus.

Laut. pag. 126. verb. filius fam. Usufructum etc.

OBJ. (1) *L. 6. C. Bon. quæ lib.* Ubi patri in bonis adventitiis tantum usus, non vero proprietas tribuitur.

RESP. Loquitur textus de bonis jure proprietatis filio quæsitis, in his enim separari substantia & usus possunt; Indeque illa filii, hæc patris est: At aliud est, si ipse usufructus filio donatur, tunc enim proprietas ab usu separari nequit, indeque h'c utrique collatus videtur. Sed & (2) corrigit ille textus jus antiquum, quo pater omnia jure patriæ potestatis acquirebat; hæc correctio autem tantum locum habet in bonis pleno jure filio quæsitis, non vero in bonis, quorum solus usufructus ei est relictus. *Struv. Evol. ad th. 7. h. t.*

OBJ. (2) Quod si verus usufructus esset, eo mortuo finiretur, §. 3. *Inst. usufr.* cum tamen hoc casu continuetur in filio. *d. l. f.*

RESP. Usufructus est in utraque persona, quæ quamdiu tota non est extincta, manet jus usufructus.

Atque hæc est sententia *Laut. h. t. pag. 126. pr. Struv. Ex. 12. th. 7. etc.*

Qv. VI. *An fructuarius acquirat partum ancillæ?*

NEG. Quia partus fruendi causa non producitur; absurdum enim videtur hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparavit. §. 37. *R. D. l. 68. pr. h. t.* Neque ancillæ pariendi causa habentur. *L. 27. Pet. hæred.* Indeque fructuarius præter ancillæ operam nihil acquirat. *L. 3. l. 4. op. serv. l. 27. hæred. pet.*

OBJ. (1) *L. 24. §. 1. l. falc. l. 58. §. 4. SC. Treb. l. 91. §. f. leg. 1.* Ubi fideicommissario, cui hæreditas relicta est, etiam partus ancillæ restitui debet.

RESP. Hoc inde est, quia voce hæreditatis omnia continentur, quæ in bonis defuncti fuere, & post mortem ejus accessere, adeo-



que & partus. Vid. *d. l. 91. §. f. vid. Laut. p. 113. lit. O.* Adeoque tunc non tanquam fructuarius, sed ut dominus & hæres jure domini partum acquirit.

OBJ. (2) Quod in dict. LL. partus ancillæ pro fructu habeatur.

RESP. Imo hoc nullibi dicitur, quod pro fructu ancillæ habeatur; Nam in *d. l. 91. §. f.* dicitur partum venire in petitionem hereditatis, sicuti fructus percepti, quod verum est. In *d. l. 58.* expresse contrarium dicitur, voce reddituum partum non contineri; in *d. l. 24.* dicitur quidem partum venire in restitutionem fideicommissi, & esse fructum quartæ, sed ex ipsa inspectione apparet alio sensu fructus ibi vocari.

Quantopere & olim Dd. hac de re disceptaverint & hodie quoque disceptent, vide apud *Cic. l. 1. de fin. Mill. ad Struv. §. h. lit. A.*

Qv. VII. *An fructuarius possit ædificare, & impensas ædificii repetere?*

Laut. pag. 126. verb. Non etiam alia ædificia. RESP. Ædificare non potest, *l. 13. §. 7.* nisi earum rerum custodiendarum causa, quæ in fundo sunt, *d. l. 13. §. 6. l. 37. h. t.* quin nec cocepta a domino ædificia perficere potest, *l. 61. h.* quia usus prædii rustici in agricultura, non vero in habitatione, consistit. vid. *d. l. 61. l. 44. Eod.* at reparare non tantum potest, sed & tenetur. *l. 44. h.*

Exc. Si ipse usufructus in habitatione, eaque sola, consistat, quia alias inutilis esset usufructus, eoque pugnaret cum ejus natura; sed & tum specialiter id actum videtur, *d. l. 61. junct. arg. l. 2. ff. de jurisd.*

OBJ. (1) Quod dominus debeat concedere, quæ ad usum sunt necessaria.

RESP. Ad usum rei non pertinet nova ædificia extruere, *Struv. Evol. h. t.*

OBJ. (2) Quod legato usufructu hujusmodi ædificii imperfecti legatum inutile foret, si perficere non liceret.

RESPONSIONEM vide in exceptione.

OBJ. (3) *arg. l. 2. ff. de Jurisd.* concessio enim aliquo omnia ea concessa intelliguntur, sine quibus prius illud haberi non potest.

RESP. Imo fundi usufructus esse potest, etsi ædificium habitandi causa non sit. Aliud vero est si usufructus ædium vel habitationis relictus sit.

Si



Si tamen fructuarius quid inædificaverit, finito usufructu reficere ea quæ posuit non potest, *l. 15. pr. h.* quia semel cessit proprietati & solo; at quia dominus materiæ manet, dirutam & refixam repetere ac vindicare potest, *d. l. 15.* jam enim desit esse accessio fundi vel soli; Adeoque ædificium quidem cessit solo, non vero singulæ species.

OBJ. *L. 2. C. Rei Vind. l. 7. §. 12. A. R. D.*

RESP. Loquuntur textus de eo qui mala fide in alieno ædificat, adeoque nec rei possessor est, hic nec dirutam materiam vindicat, quia donasse præsumitur, *dd. ll.*

An vero fructuarius repetit impensas sui ædificii?

NEG. Quia sciens in alieno posuit, idque ideo, ut durante usufructu eo uti possit, quem finem cum obtinuit, præterea impensas repetere nequit: *Conf. d. l. 15. pr.*

OBJ. Quod dolo agat qui vult locupletari cum alterius jactura. *l. 14. dol. Ex. Conf. §. 30. Inst. rer. div.*

RESP. Loquitur §. 30. de eo qui bona fide in alieno solo ædificat, putans suum esse fundum, hic enim si possidet, exceptionem pro impensis habet: *arg. d. l. 14.* Secus vero hic, ubi sciens in rem alienam impendit.

Conf. Struv. h. §. 22.

DISSENTIT *Trentl. h. §. 12. lit. b. ibique Dd.* ubi varias videtur correctiones legum tum Doctorum sententias. Vide quoque *Stryk. U. M. h. §. 6.*

Qv. VIII. *An usufructuarius aliquid in re mutare possit?*

NEG. *L. 8. l. 44. §. 1. h. t.* licet eo meliorem rem redderet. *dd. ll. l. 17. §. 1. l. 13. §. 7. h.* Unde supra *q. 7.* dictum est, usufructuarius nec ædificare, nec cæpta perficere posse. *Conf. Struv. h. §. 22.*

OBJ. *L. 13. §. 5. Et 6. h.* ubi lapidicinas, cretifodinas &c. insituere in agro fructuario potest.

RESP. Ibi non ipsa res mutatur, sed saltem usus, qui mutari potest, modo non fiat in præjudicium domini. *d. l. 13.*

De praxi vide *Dn. Stryk. U. M. h. §. 6.*

Qv. IX.



Qv. IX. Quando fructuarius & colonus dicantur percepisse fructus, & quomodo haec differant a bonae fidei possessore?

Laut. pag. 126. verb. percipit & percipiendo &c.

RESP. Fructuarius & colonus acquirunt fructus facto suo perceptionis, (indeque usufructus facti esse & in facto consistere dicitur *L. un. Quand. dies l. g.*) quando scil. ipsi vel per se, vel per alios, fructum a re separaverunt, & in sua custodia tenent. §. 36. *R. D. l. 13. Quib. mod. Us. am.* Non ergo si v. g. olea sponte deciderit. *d. l. 13.* Nec si a fure decerpti vel dejecti sunt fructus, licet maturi, *l. 12. §. 5. h.*

Ex c. Si tales sunt fructus, quos ipsa natura separare solet, ut fetus animalium, *l. 28. pr. de Usur.* Nam hos fructuarius citra factum suum acquirit.

A fructuario & colono differt b. f. possessor, qui percipere dicitur, quocumque modo fructus a re separatus est. *d. l. 13. h. l. 78. R. V. l. 48. pr. A. R. D.* quia acquirit jure fidei dominii, dum possidet, *d. l. 48.* & hinc publiciana ei datur ad vindicandos fructus, si ab alio separati sunt. *tot. tit. ff. de Public. in &c.* Ei ergo sufficit fructus desisse esse partem fundi, & veri dominii.

NOT. Fructuario tamen actio datur contra dominum, ut vel contra tertium separantem agat, vel actionem cedat. *l. 12. §. 5. h.* Idem est in colono, qui agit actione conducti contra dominum. *l. 61. §. 8. furt. l. 60. §. 5. locat.*

AN vero tanti interest, num fructuarius immediate agat, num vero mediante actione a domino instituenda fructus recipiat?

AF F. Quia in actione instituenda contra tertium lucrum esse potest, & actio furti in quadruplum pinguis admodum fuit, quæ proinde domino magis quam usufructuario competit. *Vid. Dn. Par. in Hyp. Inst. de furt. §. 8.*

Qv. X. An praemortuo fructuario, colono, vel bonae fidei possessore, fructus maturi eorum haeredibus acquirantur?

Laut. ibid.

Dictum ante est, fructuarium & colonum fructus suo facto separatos percipere bonae fidei possessorem vero separatos quocumque modo: Hinc si fructuarius ante quam perceptione suos faciat,



faciat, decessit, hæres ejus amplius percipere fructus non potest; *l. 8. in f. Ann. leg. dist. l. 13. Quib. mod. us. amit. §. 36. R. D.* At b. f. possessoris hæres potest, quia is jure soli & domini percipit fructus, quod ad hæredes transit, neque jus bonæ fidei possessoris morte exstinguitur, uti usufructus. At quid de hærede coloni? Equidem colonus facto suo demum fructus percipit, ut fructuarius, §. 36. *Rer. div.* nihilominus tamen etiam non separatos hæres ejus percipere potest, quia jus percipiendi, quod colono competit, non in nudo facto consistit, sed ex contractu oritur, in quem etiam hæres succedit. *d. §. 36. verb. Eadem fere de Colono dicuntur. junct. l. 10. C. Locat.*

OBJ. (1) *L. 5. §. 4. Si usufr. pet.* Ubi hæres fructuarii quoque petit fructus præteritos.

RESP. Ibi fructuarius decessit pendente lite quam movit dominus super usufructu, quia ergo non potuit percipere propter moram adversarii, id ipsi nocere non debet, sed eos quos a tempore litis contestatæ usque ad mortem percipere potuisset, hæres acquirit.

OBJ. (2) *L. 58. h.* Ubi hæres fructuarii locantis petit pensionem a colono qui fructus percepit.

RESP. Hoc inde est, quia fructuarius per colonum fructus percepit, nihil enim interest, an ipse, an vero per alium percipiat, indeque merito ejus hæres eorum pensionem a conductore petit. Atque ita de cæteris quoque fructibus civilibus. Vid. *l. 26. h. l. 9. §. 1. Locat.*

Qv. XI. *An usufructuarius venari possit?*

AFFIRM. Nam fructuarius acquirit omnes fundi fructus, *l. 7. pr. Locat. pag. usufructu.* & quicquid ex eo percipi potest. *l. 8. pr. Eod. adeo. 126. verb. que & fructum qui ex venatione oritur. Idque in terminis ita traditur in l. 62. Usufr. l. 9. §. 5. Eod. potest venari.*

OBJ. *L. 26. Usur.* ubi negatur venationem esse fructum fundi.

RESP. Questio ibi est de b. f. possessore quosnam fructus ille percipiat, adeoque quinam sint in ejus fructu, & dicitur omnes qui jure soli, adeoque fruendi causa ex re percipiuntur. Atque hinc feræ eo non pertinent, quia non ex fundo naturaliter oriuntur: nisi in eo solo fructus fundi consistat, tunc enim ex voluntate domini, qui usum concessit, etiam hos percipit.

Cocc. J. C. P. I.

Rrr

Adeo-



Adeoque *alia* quæstio est, an venatio sit pars ususfructus, & affirmatur, quia ad fructuarium pertinet non tantum quod ex re nascitur, sed quicquid exinde percipi potest, *d. l. 9.* adeo ut & apes eo pertineant, *d. l. 9. §. 1.* & sic quoque feræ, *d. l. 9. §. 5.* ALIA, an fera acquiratur bonæ fidei possessori? & negatur; quia huic tantum acquiritur jure soli, & ex re, fera autem non ex re oritur. Unde recte concluditur, venationem esse in fructu ratione fructuarii, *d. l. 62. d. l. 9.* non vero ratione b. f. possessoris, *d. l. 26.* Atque hinc evicto fundo bonæ fidei possessor fructus ex venatione perceptos restituit, quia tantum jure soli fructus suos facit, at fructuarius nullos, quia omnem rei utilitatem acquirit. *d. l. 9. pr.* Quam differentiam a nemine observatam memini.

Quantopere Dd. dissentiant vide apud *Bach. ad Trentl. V. 1. D. 16. th. 8. lit. c.* Pro fructuario decidunt *Hden. ad ff. 3. th. 5. lit. a. Struv. §. 26. h. Coras. 5. Mist. 8.* Alii distinguunt inter facultatem venandi & feram ipsam, illam esse fructum fundi ajunt, *d. l. 62. d. l. 9.* non ipsam feram, *d. l. 26.* sed hanc, tanquam rem nullius, cedere occupanti. At ipsa venatio non in fructu esse dicitur, *d. l. 26.* adeoque hæc conciliatio nimium violenta est. Quin e contrario potius in *d. l. 9.* ipsa fera, sive venationum reditus, ad fructuarium pertinere dicitur: uti & in *d. l. 62.* usufructuarius aprum aut cervum suum facere dicitur.

Qv. XII. *An fructuarius acquirat fructus metallicos?*

Laut. pag. 126. verb. Proventus metallicos &c. **R**ESP. Vel fodinæ JAM INSTITVTÆ sunt, & tunc acquirunt fructus metallicos. *l. 13. §. 5. h. l. 7. §. 2. & 3. Solut. matr.* Quia non male utitur, qui domini exemplum & institutum sequitur; *Conf. l. 8. pr. sol. Matr. ibique Golt.* modo hoc fiat salva substantia, & prout bonus paterf. uti solet. *d. l. 7. §. 2.* Idque verum est, etsi metalla non renascantur, nam ipse dominus ita uti solitus est: Unde male fructuario usus glebæ effodiendæ, *Turff zu graben,* denegatus fuit apud *Sand. l. 5. t. 3. def. 2. & 3.* ex ratione quod non renascatur, nam cessat hæc ratio, si ipse paterfamilias ita uti solitus est.

OBJ. (1) Ita ipsam substantiam salvam non esse.

RESP. Imo substantia fodinæ salva manet, etsi lapides ad utilitatem meam inde cædam, uti sylva manet, etsi ligna inde cædam, ad meam utilitatem. *l. 10. h.*

OBJ.



OBJ. (2) *L. 7. §. 13. sol. matr.* Ubi marmor non est in fructu, nisi renascatur.

RESP. Loquitur de fodinis noviter institutis & inventis, in quibus lapidicinas instituere non licet, nisi renascantur, uti jam videbitur.

Vel fodinæ NOVITER INVENTÆ instituantur, & tum distinguatur, an fructuarius lapidicinas instituat, an alias fodinas: ILLÆ institui non possunt, quia iis regulariter deterior redditur fundus. *L. f. fund. dot. junct. l. 7. §. 13. sol. matr.* Non enim tantus lapidicinarum usus est, imprimis intra compendiosos fundi fines, uti hæc ratio additur in *l. f. fund. dot.* adeoque nec maritus, vid. *l. 7. §. 13. Et d. l. f.* nec fructuarius ea instituere potest, neuter enim fundum deteriorem reddere debet. *d. l. 13. §. 5. Usufr.* Nisi (1) lapides renascantur, *d. l. 7. §. 13. Et d. l. f.* quia tum speciem fructuum præ se ferunt, si perpetua sit lapidicinae utilitas, vel (2) alio fundi fructuarii non sit utilitas. *arg. l. 62. Usufructu.* HÆ semper institui possunt semperque in fructu sunt, etsi metalla non renascantur. *d. l. 7. §. 13. Et 14. junct. l. 13. §. 5.* Adeo, ut fructuarius, si in eo quod instituit plus reditus sit ac in vineis, etiam has desicere possit, quia fructuario permittitur meliorare fundum, *d. l. 13. §. 5. in f. junct. §. 4. Eod.* modo agriculturæ non noceat, *d. l. 13. §. 5.* nec fodinæ cælum aut agrum corrumpant, nec magnum apparatus sint desideraturæ opificum operæ, vel tegulorum, quem non potest sustinere proprietarius; *d. l. 13. §. 6.* tunc enim non potest videri boni viri arbitrato frui, utpote cum fundus deterior reddatur. *d. l. 13. §. 4. 5. Et 6.* Quod itidem a nemine observatum memini.

OBJ. *L. 13. §. 7. h.* Ubi in ædibus fructuarii nihil mutari potest, licet res melior reddatur, adeoque nec in fundo.

RESP. Aliud est in ædificio, cujus fructus tantum est habitatio diæte, ubi omnes ædium partes ad substantiam usufructus pertinent, in qua proinde nihil mutari potest: Sed in fundo partes quædam modo fructuum, modo substantiæ vicem sustinent: Sic enim si dominus sylvæ usufructum concessit, arbores ita ad substantiam sylvæ pertinent, ut nec tota, nec ligna præter morem, possint exciudi. *Conf. l. 10. h.* Ad fructum vero ita pertinent, ut arbitrato boni viri cadere liceat salva sylvæ & ne illa deterior fiat. *l. 10. h.* Sic in arboreto in usufructum dato arbores ad substantiam pertinent, adeoque fructus non sunt, uti nec lapides, nec metalla, *l. 32. l. dot.* sed prædio in genere dato, quod ad certam



spem cultum non est, pro fructu erit, quicquid inde percipi potest, adeoque & arbores & metalla. *l. 7. pr. l. 9. pr. Usufr.*

Atque hinc apparet, male communiter Dd. asserere metalla ad fructuarium non pertinere nisi renascantur; *Laut. h. p. 126. in f.* nam id de solis lapidicinis verum esse jam demonstravimus. In praxi insignis hujus rei est utilitas, imprimis in illis locis, ubi fodinarum copia est.

Qv. XIII. *An fructuarius acquirat thesaurum?*

NEG. Quia *Hadrianus* in §. 40. *Inst. Rev. div.* dimidiam domino soli cedere voluit, dimidiam inventori, non ergo fructuario. Atque hinc nec marito cedit, qui tamen est civilis dotis dominus. *l. 7. §. 12. sol. matr.* Si vero ipse invenit, dimidiam capit jure inventionis, non usufructus, *d. §. 29.* atque ita sentiunt *Struv. h. §. 15. Hoen. Disp. ad ff. 3. th. 5. lit. a. Müller. ad Struv. h. th. 15. lit. h. vid. Laut. Disp. de Thesaur.* Unde si hæredes mariti in fundo dotalio thesaurum inveniunt, totus cedit hæredibus, nihil viduæ: Atque ita judicatum refert *Moll. l. 4. fem. c. 27. Carpz. p. 2. c. 53. def. 6. Müller. ad Struv. d. l.* Eadem ratio est in thesauro in fundo filii invento, in quo pater usufructum habet: Nam proprietas cedit fundi domino i. e. filio pro dimidia, at usufructum illius dimidiæ pater jure patris potestatis acquirit. *arg. l. 6. pr. C. bon. quæ lit. Laut. dicit. disp. de thes. th. 18.*

OBJ. Quod fructuarius acquirat quicquid ex fundo percipi potest.

RESP. (1) Thesaurus sua natura non est utilitas fundi, sed potius res nullius, & sic cedit occupanti: (2) Sed & in specie voluit Imperator thesaurum dividi inter dominum & inventorem, indeque contra expressam legis dispositionem non potest acquiri fructuario.

OBJ. (2) Quod metalla acquirantur fructuario, quæ tamen etiam sunt species thesauri.

RESP. Inno metalla sunt utilitas quæ ex re oritur, neque ibi contraria legis dispositio, ut in thesauro, existat.

Qv.



Qv. XIV. *An proprietarius fundum sine consensu usufructuarii alienare possit?*

AFFIRM. *arg. l. 21. C. mand.* Neque inde præjudicium fit Usufructuario, utpote qui fructus percipit, nec per alienationem in ea perceptione turbatur. *Laut. pag. 126. verb. Proprietarius nihil &c.*

OBJ. *l. f. §. 5. C. bon. quae liber.*

RESP. Singulare est in filio, qui bona, in quibus pater usufructum habet, alienare nequit. Quod videtur esse effectus patriæ potestatis.

NOT. Proprietarius nec meliorare fundum sine consensu usufructuarii potest, ne in juris sui exercitio incommodum patiat. *L. 7. §. 1. h. Servitutem nec cum consensu imponere potest. l. 15. §. 1. h. Utroque casu secus, si usufructuarii nihil interfit. l. 16. h.*

Qv. XV. *Qualem diligentiam præstet usufructuarius?*

RESP. Mediam, indeque ad culpam levem tenetur; nam tenetur uti tanquam bonus paterfamilias, *l. 9. §. 2. l. 65. pr. h. l. 1. 127. verb. pr. & f. usufr. quem. cav.* Accedit quod culpa simpliciter posita intelligatur levis, *l. 3. §. 1. l. 6. Jur. ignor.* *Laut. pag. 127. verb. Adhibet mediam diligentiam &c.*

OBJ. (1) *L. 5. Commod.* Ubi toties præstatur culpa levissima, quoties solius accipientis est utilitas.

RESP. (1) Imo hic utriusque est utilitas, & proprietarii qui regulariter gratis non concedit, & usufructuarii, qui usitur, quo casu culpa levis præstatur. *d. l. 5. §. 2.* (2) Regulæ illæ obtinent in contractibus, non vero in iuribus in re, ubi certus gradus culpæ non est definitus. *arg. d. l. 5.*

OBJ. (2) Quod usufructuarius ultro suscipiat rei alienæ curam, indeque præstet culpam levissimam, *l. 21. C. Mand.*

Sed vide *Resp. 2. ad object. præced.*

At ita **SENTIUNT** *Struv. h. th. 13. ibique Evol. Laut. h. pag. 127.*



USUFRUCTU ACCRESCENDO.

QV. I. *An usufructus etiam accrescat verbis conjunctis?*

Laut. pag. 127. verb. Sive verbis tantum. **N**EG. Quia iis tantum accrescit, qui ab initio solidum habere videntur; quales hi non sunt, qui verbis conjunguntur; his enim ab initio partes dedisse censetur testator. *L. 89. de leg. 1. de quo plenius infra, ad tit. de jure accrescendi & late Müller. ad Struv. h. §. 28.* Equidem in praxi contrarium obtinere ait *Dn. Stryk. U. M. h. §. 2. de quo videbimus diff. tit. de jure accrescendi.*

QUANDO DIES USUFRUCTUS LEG. CEDAT.

QV. I. *Cur usufructus pure legati dies cedat ab adita hereditate?*

Laut. pag. 128. verb. Pure legati ab adita hereditate &c. **R**ESP. Ideo quia usufructus in facto personæ consistit, *l. 3. §. f. Quib. mod. us. am. l. un. pr. h.* indeque sine persona concipi nequit. *d. l. 3.* persona autem demum capax fit post aditam hereditatem; *L. 2. l. 3. Quand. dies leg. l. 5. §. 1. Eod. l. 16. §. f. Eod. l. un. §. 2. h.* tunc enim constituitur usufructus cum quis jam uti potest. *d. l. un.*

Effectus est, quod usufructus ita legatus ante aditam hereditatem non transeat ad præmortui legatarii successores, obligatio enim, quæ non cœpit in defuncto, non potest transmitti ad ejus hæredes. *d. l. 2. §. 3. §. 5. d. l. un. per. tot.*

INSTO, quod hereditas jacens quoad effectum acquisitionis representet personam hæredis. vid. *sup. l. 5. tit. 2. q. 1.*

RESP. (1) Hoc verum de juribus, at possessio, & ea, quæ in facto consistunt, ad hæredem non transeunt, nisi reali ejus apprehensione, *l. 23. Acq. vel am. poss.* nec incipiunt nisi persona capax sit quæ frui possit. *d. l. un. §. 3. vid. l. 8. l. 10. de V. O.*

RESP.